

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Breviarium hominis christiani - Cod. Ettenheim-Münster 79**

**[S.l.], [18. Jahrh.]**

Caput XXII.

[urn:nbn:de:bsz:31-108661](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-108661)



salutem nobis tribueres; sic enim Deus dilexit mundū  
 ait discipulus <sup>dilectus</sup> tuus, ut filium suum unigenitum da-  
 ret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat  
 vitam aeternam, Hic autem filius tuus super omnia  
 benedictus unico verbo, aut suspirio nos a potestate  
 Daemonis liberare, ac salutem nostram operari potuis-  
 set; nihilominus ut de tua immensa erga nos li-  
 beralitate convinceremur, voluisti, ad redemptionem  
 nostram tanto nobiliorem ac pretiosiore reddendam, ut  
 innumeros dolores, sudores, et angores, imo mortem  
 crudelissimam subiret, et ita vitam suam cum omni-  
 moda pretiosissimi sanguinis sui effusione profun-  
 deret. O liberalitas ineffabilis ac stupenda nimis!  
 O mi Deus si pro hac liberalitate tua prorsus  
 immensā, per quam ingentes gratiarum ac meritorum  
 thesauros acquisivi, tibi fideliter non obsequor, nec  
 te ex toto corde meo ac omnibus viribus meis di-  
 ligo, mereor sane, ut ad puniendam meam ingrati-  
 dinem novus pro me condatus infernus.

Joan. 3.

Caput XXII.  
 Aspiraciones ad Deum  
 ob eius affabilitatem.

Domine Deus, dum affabilitatem tuam considero,  
 totus ego obstupesco, quid enim est homo, quod memor-  
 es eius, aut filius hominis quoniam visitas eum, et  
 cum ipso tanquam cum amico conversari dignaris? Non-  
 ne homo pulvis cinis et terra, tu vero Rex tremenda  
 maiestatis, et summa gloria Dominus, et tamen delicia  
 tua sunt esse cum filiis hominum, tibiq; veluti pro  
 magna voluptate reputas descendere in hortum mentis  
 nostrae, ac intime desideras, ut eius ostium tibi aperi-  
 mus, unde pulsas ad cor devota anima, et ais: aperi  
 mihi soror mea: O ineffabilis affabilitas tua  
 mi amantissime Deus; quid est enim anima fidelis  
 ut ad cor eius venire gestias, et ut tibi ostium, citius

ps. 8.

Sap. 5.

cant. 5.



Sap. 8.

ps. 32.

cant. 9. vi.

q. alioqui

aperiat, sororem suam compellare dignaris? O amor meus  
 num unquam aliqua reperiri potest anima, qua tibi pul-  
 santi non aperiat; non enim habet amaritudinem con-  
 versatio tua, nec fastidium convictus tuus, sed letitiam et  
 gaudium; gustate, et videte, quoniam Suavis est Do-  
minus. O si quae sit mens humana, quae suam dul-  
 cem conversationem non requirat, profecto meretur, ut  
 cum demonibus sit habitatio eius. Ego autem tecum  
 semper esse, tuamque familiaritatem frui vehementer ef-  
 flagito. Ah veni Domine noli tardare, descende in  
 hortum mentis meae, ut suavi conversatione ac dul-  
 cibus amplexibus tuis fruatur, audiamque vocem tuam  
 mihi intus loquentem: Salus tua ego sum.  
 2. Affabilitatem tuam, O Deus cordis mei, sponsa di-  
 lecta tua in canticis vel maxime manifestat; haec  
 enim, postquam a te invitata, et introducta fuerat in  
 cellam vinariam, in sinum nempe cordis tui, ut ibi  
 spiritualibus deliciis ac dulcedinibus reficeretur, post-  
 modum vicissim te ad hortum mentis suae invitabat, et  
 ait: Veniat dilectus meus in hortum suum.  
 O mi Deus, quanta est anima felicitas, quae tecum  
 ita familiariter agere audeat, et cui te supra omnem  
 cogitatum nostram affabilem exhibet, dum finis, ut  
 ea licet valde ignobilis te Dominum ac creatorem  
 omnium dilectum suum nunciet; anima enim,  
 quae te habet pro dilecto, tibi vicissim est pro dilecta,  
 adeo ut inter te et eam mutus sit convictus, mutus  
 sit convictus, mutus amor et amplexus, mutua  
 conversatio, et familiaritas, imo unus spiritus, una  
 voluntas, una mens, unum cor; hinc sponsa non  
 dixit: Veniat dilectus meus in hortum meum,  
 sed in hortum suum; quia tota quanta erat non sibi,  
 sed tibi Divino sponso suo vivebat; unde et dicere  
 poterat: vivo ego, iam non ego, vivit vero in me Chris-  
 tus. Venam O amabilissime Deus hanc tuam spon-



Sam dilectam ardentibus dilectionis affectibus emulari  
valeam, ac demum affabilitate ac familiaritate tua,  
quæ dulcis est, super mel et favum frui merear. O Sors  
mea nimis beata, si tandem instas Moÿsis tecum velut  
cum amico meo loqui, ac cum sponsa verè dicere possim:  
Dilectus mihi et ego illi.

cant. 7.

3. Sed unde tua, o mi Deus, erga nos affabilitas, nisi ex  
immense, quo nos prosequeris amore, ac vehementi desiderio  
quo flagras, ut animæ devotæ te comunices; hinc vix  
sponsa te sponsum celestem invitabat, ut ad hortum men-  
tis eius descenderes; et ecce velut omnis more impatiens  
exemplò ades et ais: Veni in hortum meum Sors mea.

C. 5. V. j.

O amantissime Deus quàm magna est erga inopem  
animam dilectio tua, quæ dignaris oblectari in corde  
eius ac familiariter cum ea conversari. O magna  
puri ac mundi cordis felicitas, quod te tam excelsum  
ac nobilem Dominum, tamq̃ fidelem amatorem in  
hospitium suum suscipere mereatur. Ous iam ani-  
ma mea non ingeminas cum sponsa: veniat dilectus  
meus in hortum suum, ut etiam ab eo audire me-  
rearis: Veni; ecce iam adsum. An forte vilitas tua  
tibi obicit, te prorsus indignam esse, ut cum tanta  
maiestatis Domino familiaritatem inear, tantùm ab-  
est, ut cum in cor tuum eius fruendi amplexibus gra-  
tiã introducere audeas. Sed depone hunc vanum metum;  
ecce enim ipsemet ait: ego diligentes me diligo, et qui Sap. 8.  
mane vigilant ad me, invenient me. Ergo mi Deus  
meam non aversaris parvitatem, sed solum à me exi-  
gis dilectionem; fac igitur, ut sanctissima tua vo-  
luntati respondeam, ac contemptis omnibus rebus  
terrenis te unice diligam.

Caput XXIII.